



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **SRIKAKULAMENSIS** IN INDIA NOVA
CONDITUR DIOECESIS **SRIKAKULAMENSIS** Ad aptius fovendum evangelizationis opus in
amplissimis Indiae finibus, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, re mature perpensa
auditisque pariter eorum, quorum interest, faventibus votis, censuit nuper ibidem novam
condendam esse dioecesim. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere Pastoris et Patris universi
populi Dei, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. A
Visakhapatnamensi dioecesi separamus districtum civilem « Srikakulam » et sequentia loca, patrio
sermone « taluks » nuncupata, quae pertinent ad districtum civilem « Vizianagram » quaeque
sunt: Paravathipuram, Kurupam et Cheepurupalli; ex iisque novam constituimus dioecesim ab
urbe principe eiusdem regionis Srikakulamensem appellandam, quam metropolitanae Sedi
Hyderabadensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium
Evangelizatione subicimus, cuius limites iidem erunt ac districtus civilis « Srikakulam » et locorum
« taluks », supra memoratorum, districtus civilis « Vizianagram », firmis manentibus ceteris
limitibus. Praeterea iubemus Episcopi cathedram poni in templo Sanctae Mariae Misericordiae
exstante in urbe « Palakonda » atque pro canonicis consultores dioecesanos eligi et adhiberi ad
normam iuris; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet
ad exitum Venerabilis Frater Georgius Zur, Archiepiscopus titulo Sestensis atque in India
Pronuntius Apostolicus vel ab eo delegatus sacerdos, factis nempe necessariis facultatibus. Re
autem acta, documenta exarentur sincerisque exemplis ad Congregationem pro Gentium
Evangelizatione cito mittantur. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum
ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum
Petrum, die primo mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo tertio,
Pontificatus Nostri quinto decimo.*

ANGELUS card. SODANO Secretarius Status	IOSEPHUS card. TOMKO Congr. pro Gentium Evangel. Praef.
--	--

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXXVI (1994), n. 1, pp. 8-9

© Copyright 1993 - Libreria Editrice Vaticana

© Copyright - Libreria Editrice Vaticana